terias, & cœliacorum profluuia sistit: in uino potus contra toxica efficax est. A
Leporinus sanguis ita ut tepet illitus, uitia cutis in facie, lentigines q; emaculat. Caninus cõmodè ab his bibitur, quos efferata in rabiem bestia momorderit: contra epotum toxicum auxilio est. Testudinis terrestris sanguinem epotũ tradũt prodesse comitialibus. Marinæ aũt testudinis cum uino, & leporis coagulo, cuminoq;, contra serpentium morsus, & hausta rubetæ uenena conuenienter bibitur. Taurinus cum polenta illitus, duritias discutit, emollitq;. Sanguis equarum, quæ admissuram expertæ sunt, in medicamenta additur quæ erodunt: septica uocant. Sanguine chamæleonis genarum palpebras euelli creditum est. Hoc idem uiridium ranarum sanguine præstatur. Menstruus sanguis fœminarum, circumlitu conceptum inhibere existimatur: aut si omnino mulier menstrua supergrediatur. leuat podagræ dolores, & ignem sacrum, illitus. Dioscorides & Florentini.

DE PINGVEDINE, ADIPE ET SEVO CAP. XXV.



B

HVMANA

A HVMANA ADEPS ex florentibus, autumno uel hyeme colligitur. Reponitur autem uel per se, lota tantùm, & ab omni cruento, alijsq; immundicijs repurgata, loco sicco ad aquilones spectante, siue figulinis uasculis uitreatis, folijs lauri uel nucum siccis conuoluta & obturata: uel exemptis membranis diligentissimè trita, & duplici uase liquata, fictili uitrato bene obturato, locis siccis.* Ad ligationes neruorum, membra emaciata, contracta, induratáq; à chirurgis applicari solet. Medici Florentini.

SVILLA adeps, quæ tum Græcis tum Latinis Axungia appellatur, eodẽ modo colligitur, præparatur, ac reponitur, quo humana. Recens etiam & sine sale usurpatur. & quando adipem absolutè reperies, sumes adipem recentem illius anni, & sine sale conditum: quia post illud tempus mutat qualitatem: alijsque præditus est facultatibus. * Contra uuluæ & sedis uitia idonea est: ambustis igni medetur. E' sue uetustissima, quæque sale condita, excalfacit, & emollit: elota uino pleuriticis prodest: cinere aut calce excepta, inflammationibus, fistulis, ac tumoribus succurrit. Dioscorides & Medici Florentini.

ANSERINA adeps colligitur, præparatur & reponitur, ut humana & suilla. Calore suillam superat, & ob naturæ suæ subtilitatem magis penetrat: * eoq; rectè per anum ijs inijci potest, qui rosionẽ in alto corporis sentiunt. B Conuenit muliebribus malis. Dioscorides & Galenus.

GALLINARVM & CAPONVM adeps, ut præcedẽtes præparatur ac reponitur. Media inter anserinam & suillam consistit: * mollit, humorumque acrimoniam obtundit. Ad labiorum rimas, ad mangonizandam faciẽ, & cõtra aurium dolores conuenit. Galenus & Dioscorides.

ANATVM & ANSERVM SYLVESTRIVM, ut suilla & humana paratur & reponitur. * Efficacior est quàm domesticorum, & aliorũ animaliũ.

VITVLINVM & HOEDINVM seuum, ut adipes precedentes præparantur & seruantur. * Aliquantum astringunt, molliunt, &c. Dioscorides.

TAVRINVM & BVBVLVM seuum conficitur & seruatur, ut adipes prænominatæ. Efficacius quàm uitulinum est: * ad rosionem in recto intestino, aut colo: nec non difficultatem intestinorum, & tenesmum experiuntib. accommodatum. Galenus.

HIRCINVM seuum ut prædictæ adipes præparatur, eodemq; modo reponitur.* Validissimè discutit, proinde podagricis auxiliatur, cum fimo capræ & croco impositum. Huic proportione respondet ouillum. Diosc.

SEVVM CAPRINVM ut præcedentia paratur, conseruaturq;. Astringentius est: * qua ex causa decoctum cum polenta, rhoe, & caseo, dysentericis datur, & cum ptisanæ succo infunditur. Ius decocti phthisicis in sorbitionibus prodest. datur quoque utiliter ijs, qui cantharidum uenena hauserunt. Dioscorides.

SEVVM CAPREOLI, DAMAE, & CERVI, eodem modo quo præ- A
cedentia colliguntur, præparantur, & reponuntur. Alia superius enumerata uincunt, eoq; magis siccæ, terreæq; naturæ, & scirrhosis tumoribus emolliẽdis ex usu esse consueuerunt. Andernacus.

LEONINA adeps colligitur, præparatur & conseruatur, ut præcedẽtes. * In calore primas obtinet, & magis digerit: ob quod si medicamentis ad ulcera & inflammationes idoneis ipsam admisceas, plus offendes quàm iuuabis, maiore nimirum adhibita acrimonia. Inueteratis autem tumoribus, atq; scirrhis, induratisq; neruorum tumoribus, ἀγκύλαις Græci uocãt, maximè cõuenit. Andernacus.

PARDI & VRSI adeps præparãtur ut prædictæ. Minus quã leonina sunt efficaces. Eisdem tamen uitijs accommodari possunt. * Cæterum ursinam cõstat raptos uitio alopeciæ capillos restituere, pernionibus subuenire. Dioscorides.

VVLPINA adeps eodem modo colligitur, præparatur ac conseruatur, quo præcedentes. * Medetur aurium doloribus. Dioscorides.

VNGVLARVM ASINI combustarum * cinis per dies multos binis cochlearibus potus, proditur comitiales adiuuare. Eædem oleo subactę strumas discutiunt: & illitæ pernionibus medentur. Caprinarum cinere perunctæ ex aceto alopeciæ sanantur. Dioscorides. B

VNGVLARVM VACCAE combustarum * cinis epotus, nutricibus lactis copiam præbet: mularum uerò, mulieres infœcundas reddit. Quinetiam mures earũ suffitu fugãtur, ipsis carbonib. impositis, & accensis. Rasis.

DE EXCREMENTIS VTILIBVS CAP. XXVI.

HVMANVM lac dulcissimũ est, * & maximè alit: mãmis aũt exuctũ, prodest tabi, & stomachi rosionibus: contra haustũ leporẽ marinum pręsidio est: oculis cruore ex ictu suffusis, cum thuris polline instillatur: podagricis utile est, cum meconio & cerato illitum. Dioscorides.

LAC omne probatur candidum, æquali crassitudine, quod ungui instillatum cogitur. VACCINVM crassum est, * corpus alit: stomachum & intestina inflatione uexat: renum & uesicæ dolori conuenit. Nocet spleniticis, hepaticis, comitialib. uertiginosis, febriculosis, & capite dolentib. Diosc.

LAC ASINAE parum nutrit: * eoq; ad ulcus in tabido abstergendũ magis, q̃ in alijs cõuenit. Idẽ etiã morbis uẽtriculi, renũ uesicę ꝓdest: nec nõ purgandi facultatem obtinet. Collutos dentes, gingiuasq; stabilit. Galenus.

LAC CAPRINVM * febri hectica laborantibus, & phthisicis, consumptisq;, ac emaciatis optimè conuenit. Post humanum, secundum in bonitate locum habet. Galenus.

OVILLVM